

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXIII. De Belgardia Pomeran

urn:nbn:de:bsz:31-102564

suarum legum, quod ea conditione potestatem habitandi sibi datam esse scirent, ut nil dicere liceret publice de Christianis sacris: temere nec arbitris, id pertinuisse etiam ad leges, quas perinde forsan; ac Christianum nomen odio habuerunt, nisi moribus Pomeranicis comprobatae essent. Eo Vid. Ad. Bremens. l. 2. c. 12, Helmold. l. 1. c. 2. Porro observandum de Stetino est, iure Magdeburgico uti incepisse A. 1243. V. Rutgerus Hermannides in Pomeran. citer. p. 511. et ex eo Zeillerus in Pomer. p. 744. Sed quod urbium primordia spectat, diu ante fuisse colligas, siquidem commemorat Sec. XI. Adamus Bremensis Urbem Iumne, commercii Septentrionalium ditissimam appellans, eod. l. 2. c. 12, Helmold. eod. l. 1. c. 2. cit. Vinnetam, alii Iulinum vocant. conf. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremens. l. 2. cap. 18. quamquam fabulam narrant, qui hanc a Iulio Caesare aut adversus hunc conditam tradunt: Cramer, l. 1. cap. 21. Praeterquam enim quod Iulius Caesar nunquam penetravit in Germaniam magnam, cuius olim regio Pomerania, licet nondum hoc nomine cognita fuit, aliter scribendum alii hoc nomen dicunt, VVollinumque efferunt, quod vulgo Iulinum solent, Mart. Zeiller. descript. Pom. p. 757. cuius *itinerarium Pomeran.* ipse Ricciolus non dubitavit laudare, Geograph. Reformat. l. 1. isagog. p. 26. praeter hanc adducitur ab Helmoldo Dimine, quam l. 1. c. 2. civitatem l. eod. c. 65. munitionem, l. 2. c. 18. castrum vocat. De Stralesundo conf. Krantzius Vandal. l. 7. cap. 5. ac de Stetino 5. Vandal. c. 31. quod non statim cum Sedinis (Sidinis) Ptolomaei caepit, neque origo ante sec. XII. quaerenda, nec DIMIN Helmoldi cum SIDIN confundenda est. Stargardia primum XIII. seculo circumdata est muro: Spectantque huc Gartzium, Greiffenhaga, Prentzlovia, et similes Pomeraniae urbes, de quibus vid. Io. Micrael. in Chron. Pom.

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

Quae sint initia urbium, multi cum labore perquirunt: late autem patet ista disquisitione, si vel praecipuas unius regionis urbes complecti cupiamus.

§. II. Illud quidem omnium antiquitatis peritorum vocibus et literis comprobatum est, in Germania transrhenana, et in ea sigillatim parte, quae ad oram maris Svevici pertinet, urbes serius fuisse conditas, atque ibi nulla, vel exigua cultus Germanici vestigia ante S. ec. XII. extitisse.

§. III. Nihilo secius reguli illius ad mare Svevicum porrectae gentis diu post alios Principes clientelam Imperio professi sunt, atque amplum et opulentum

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

lentum regionis suae patrimonium, non falsa officii significatione, et ritu solenni addixerunt, atque in civitatem Germanicam ascripti, fidem et obsequium legibus astrinxerunt. *Albertus Cranzius lib. VI. Vandal. cap. 14. Nicolaus Leubingerus Comment. part. IX. Matthaeus Dresserus in orat. in solennibus Philippi Iulii Ducis Stetini habita, Ioannes Micraelius Chron. Pomeran. lib. II. p. 261. Aub. Miraeus de stat. relig. Christ. lib. I. cap. 39.*

§. IV. Ante annum MCLXXXI. suo nomine et regio iure imperarunt, sed consilio et industria Friderici AEnobarbi ad foedus invitati, Henrici Leonis partes deseruerunt, statumque mutarunt, et principatus nemini obnoxios, Imperatoris beneficio agnoscere coeperunt. Affirmat *monachus Lanzerbergensis*, Pomeranos, Henrico Gvelpho societate coniunctos, in finitimam usque oram excursiones fecisse, et Iuterboco crudeliter direpto, magnam hominum manum abduxisse, *Chron. an. MCLXXIX.*

§. V. Facile tamen largiar, etiam ante AEnobarbum, Imperatores interdum comiter habitos, seu fama, seu veneratione augusti nominis, quae ferocissimos saepe populos infexit. Hinc in vita Ottonis Babenbergensis legamus, quod V Vartislaus Lotharium appellavit *dominum suum lib. III. cap. 6.* Quorsum spectat, quod tradit Otto Frisingensis, Ducem Poloniae a Lothario II. Imp. ad clientelam nomine Pomeraniae profitendam fuisse adactum, *Chron. lib. VII. cap. 19.* Sed non definit, Pomeraniam universam, an partem Germaniae propiorem intelligat, quae citerior nominatur. Ea enim cum Sedino, ulterioris Pomeraniae urbe citius in ordinem societatemque regni Germanici est recepta, *apud Dresserum c. 1.*

§. VI. Nihil vero rationibus imperii regii Principum Pomeraniae officiebat, etiamsi Polonis se coniunxerant, quod salvo regendi iure fecisse intelliguntur. Ex hoc capite bella adversus Polonos gesta sunt, quibus magnam aetatis partem consumpsit Suantepolcus, et iura gentis suae, ac Pomeraniam ulteriorem fortiter defendit, quae tunc libera sui iuris manebat, cum Casimirus et Bogislaus suos citerioresque principatus lege beneficiaria reddendos Friderico AEnobarbo offerrent. Digna hic lectu est *genealogia Valentini Eichstedii*, accurate diligenterque confecta, quae extat in *Vandalia Davidi Chytraci*, unde cum deductae a Suantiboro propagines, tum earum distinctae successiones, principatusque diversi perspiciuntur.

§. VII. Hinc ratio causaque repeti potest, quamobrem aliquot Pomeranorum familiae equestres, diu abstinerint ritu solennium, quae in beneficiariis praediorum concessionibus iure alioqui Langobardico requiruntur, ac rite peraguntur. Nam sine dubio hoc insigne luculentumque antiquissimi generis indicium est, nec obscure confirmat, has tales familias belli artibus deditas, bona possessionesque a Venedis strenue et acriter vindicasse.

dicasse. Documento est incluta *Borkionum* Equitum profapia, quae magno et memorabili temporis intervallo praedia sua sine ritu beneficiarii iuris tenuit, atque ad posteros titulo hereditario transmisit. *V. Michaelius Chron. Pom. lib. III. p. 344. et lib. VI. p. 451.* Quae de causa singularem feudorum Pomeraniae indolem agnoscunt iurisperiti omnes, *Chebnitius, Mevius, et Brunemannus, et novissime Strykius in exercit. de feudis Pomeran. cap. I.* Pristina tamen haec conditio postea sensim desiit et mutata est, pleraque autem non mera lege beneficiaria, sed mixta quadam ratione censerī coeperunt, quae nihil vetat, quominus *feuda hereditaria mixta* appellentur.

§. VIII. Omnino igitur ultimis Pomeranorum temporibus praedia gentilium dynastiarum et equitum a nexu beneficiario libera fuerunt, paulatimque, adscriptis imperio Casimiro et Bogislao ducibus, alia citius, alia ferius a pristina, eaque hereditaria conditione recedere coeperunt. Principes in regia libertate perstitisse, manifestum est, et palam liquet, ante *Friedricum I. Hohenstauffium* neminem eorum in numerum Imperii ducum fuisse relatum. Etenim iudicio sapientum, et indubitatis historiae argumentis recentior est constitutio, quae de ludis equestribus circumfertur, nec scio, an vanius ullum absurdusque commentum afferri possit. Fallunt admodum, aut fallentes incaute sequuntur, qui existimant, *Vratislaum, Ducem Pomeraniae, interfuisse* conventui A. DCCCCXXXVIII. habito, quo leges ludorum equestrium sancitae perhibentur. Non congruunt temporum rationes, et repugnant stylus, titulusque Ducis Pomeraniae tunc nondum receptus, quem primi omnium *Casimirus et Bogislaus* obtinuerunt. *Vratislaus I.* huius nominis, idemque veris monumentis cognitus a seculo *Henrici Aucupis* longissime abest, nec Pomeraniae, sed *Slavorum Princeps* nominatur. *Vratislaus II.* remotior est, et temporis minus convenit atque adeo coniectura non inani ducitur, quisquis putat, *Sec. XII.* eam de *cornementis* constitutionem sub *Henrici Aucupis* nomine esse confectam, quae extat *apud Melchiorem Goldastum Const. Imperial. tom. I. an. 938.*

§. IX. Simulatque autem hi Duces superstitioni et impietati nuncium remiserunt, pari liberalitate et auctoritate ad hanc maxime arduam rem aggressi sunt, atque ad instituenda sacerdotia, et condendam Antistitis sedem animos converterunt. Inter quos *Vratislaus I.* a cultu idolorum revocatus est hortatu *Otonis Babenbergensis*, qui diligenter has partes egit, nihilque inexpertum omisit, ut negotium inceptu difficile, et exitu anceps, annitente Poloniae Duce, conciliavit duos obstinatosque homines, et cautam persuadendi rationem adhibuit, et populum, inprimis vitam moresque aestimantem, decora liberalitate atque innocentia ita sibi devinxit, ut nihil

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

quidem culpae ei dari posset. *Vita Ottonis Pomeraniae Apostoli lib. III. cap. 23. et historia anonymi lib. II. cap. 7. 11. itemque epitome de vita Ottonis p. 366. editionis Iaschianae. Helmoldus lib. 1. cap. 40. Chron. Slavor.*

§. X. Primum Antistitis Pomeraniae domicilium a Vratislao I. Iulini constitutum est, quae urbs tunc opulenta, et commerciis frequens, et navigantibus mare Svevicum opportuna erat, maximeque florebat. *Adamus Bremensis lib. II. cap. 13. H. E. collato Helmoldo lib. 1. cap. 2. Historia vitae Ottonis ab anonymo scripta lib. II. cap. 26. H. Conringius de urbibus Germanicis sb. LXXXVI. Vinnetam alio nomine dictam putat.*

§. XI. Inde sedes auspicio Casimiri aliorum delata, et amplioris incrementi causa in oppido Caminensi collocata est, nec minus Principum beneficio, quam iurisdictione et imperio contineri coepit. *Micraelius Chron. lib. V. p. 225. Quae mutatio Pont. Ro. assensu peracta est, quorsum spectant confirmationis tabulae, quas adscribere non pigendae nunc operae videatur. Clemens (huius nominis III.) Episcopus Romanus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Sigefrido Caminensi Episcopo salutem. Statuimus, cum civitas, quae VVollin (Iulin) dicitur, in qua sedes episcopalis esse solebat, propter guerrarum incommoda, deserta esse proponatur, ut haec ipsis sedes sit in posterum in ecclesia sancti Iohannis Baptistae, apud civitatem Caminensem, quae populosior est, et securior habetur. Datum Laterani per manum Moyfi, Lateranensis Canonici, vicem agentis Cancellarii, VI. Cal. Maii anno Christi millesimo centesimo octuagesimo octavo Pontificatus nostri primo.* Rationes temporum actorumve belle conveniunt, et expeditio Danica Valdemari I. aperte notatur, quae cum transferendae sedi, tum evertendae urbi Iulinensi occasionem causamque dedit. *V. Daniel Cramerus hist. eccles. Pomeran. lib. 1. cap. 37.* Aliqua hic observanda, 1. Iulinum et VVollinum quibusdam praesertim recentioribus, unum et idem videri, quibus diploma Clementis congruit. 2. a Iulio Caesare originem Iulini repeti, eamque ad sententiam ab auctore vitae Ottonis Badenbergenensis accommodari, quod lancea illius columnae mirae cuidam magnitudinis infixae, diu ibi asservata fuerit. Sed hoc indicio fabula se prodat, quandoquidem Romani non lanceas, sed hastas staturam hominis haud multum excidentes habuerunt, nec terra marique in oras illas Caesaris arma signaque pervenerunt. 3. distingvi oportere tempora foundationis episcopatus Iulinensis, atque eius translationis et confirmationis. 4. eum nulli unquam metropoli sive in Germania, sive in Polonia, sive in Dania fuisse obnoxium. Rugia ceteroquin excipienda est, quae Rotschildensem Danorum praesulem agnovit, *Pontanus hist. Dan. lib. VI. Cramerus lib. 1. cap. 41.* 5. Ottonem religionis Christianae causa bis in Pomeraniam demisi.

migrasse, et primo Calixti II. ac deinde Honorii II. Pont. Rom. auctoritate hanc insignem arduamque Pomeraniae Apostolatus provinciam suscepisse. Vbi bene et apposite conciliare licet scriptorem vitae Ottonis, et Conradum Urspergensem. *Quo vid. Caesar. Baronius annal. Eccles. XII. an. 1124. 6. Episcopatum Iulini et institutum, et decimis redivibusque sacris auctum fuisse beneficio Principum, priusquam Imperio fidem nomine ducum clientelarium obligarent. Hinc nemo ad eam dignitatem nisi voluntate et assensu Ducum ascitus electusque est, quod praeter historiarum monumenta, ICTVS eximius Matthias Stephani luculenter probavit. Conf. Dan. Cramerus lib. I. cap. 37. Micraelius, et acta publica, quorum partem attigit Chytraeus in Saxonia p. 9. Recentiora, quae promulgato restitutionis edicto, disceptata sunt, nunc omitto. 7. A tempore Sigefridi, ad quem literae Clementis III. allatae sunt, Antistites continuata serie Caminenses nominantur, sed postea insignis mutatio accidit, praesertim cum ritus Pontificii in Pomerania exolescerent et abrogarentur. Quid de eo novo iure constitutum fuerit, ex sanctione Vestphalica constat, art. X. §. quicquid art. XI. §. teneatur, et novissime lucem accipit ex recessu Stettinensi A. MDC LIII. inito, §. 22. et 24. apud Mich. Cassp. Lundorpium act. publ. cont. lib. LX. p. 851. seqq. Quamvis posthac aliquae conditiones alteri transigentium parti duriores visae fuerint, quod aliorum spectat, nec privatim definiri potest. 8. Nunquam vero iste episcopus ius dignitatemque Principis imperii obtinuit, neque in comitiis suffragium tulit, et iure *fundationis, donationis et dotationis* semper Ducibus Pomeraniae, tanquam tractus illius et territorii dominis subiectus fuit. Tantum addo de Ottone Babenbergensi, eum a Clemente III. in divos relatum, diploma canonizationis extat apud Baronium annal. Eccles. tom. XII. ad an. 1189. Neque huius instituti est de illius aevi, et sigillatim de curiae Clementinae stylo commentari, nec est, cur vocabulum *guerrarum* forte legentem offendant, quippe quod saeculo in primis XIII. XIV. et XV. pragmatico scribendi usu receptum est, et in tabulis Sigismundi Lutzelburgici saepe reperitur. Hoc modo in diplomate Constantiensi Anno MCCCCXV. dato, *guerrarum* dispendia, quae hic *guerrarum* incommoda, appellantur.*

§. XII. Sub idem tempus, quo Pomeraniae aditus ad Christum patefactus est, *Belgardia* monumentis celebratur, ac in fastis nostrae gentis, et Polonorum annalibus crebro memoratur. *Anonymus vitae Ottonis epitomator* eam literis consignavit, et vel in primis hoc laudi dedit, quod non difficilem se ad amplectenda Christi sacra praebuisset. Neque eo secius Otto Babenbergensis auspiciato ad oppidum accessu, animos civium pietate et exemplo suo ad verum DEI amorem cultumque accendit. Alius vitae Ottonis scriptor *Belgardiam* nuncupat, et studio ac diligentia Episcopi incitatam,

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN,

magno doctrinae caelestis desiderio flagrasse affirmat. *Belgradiam*, inquit, *petens, simili operum effectu illic laetificatus est, omnibus se Domino sponte applicantibus, cap. XXVII.* Nec multo post idem tradit, *apud Belgradiam muneris sacri terminum statuisse, idem cap. XXXVIII.* Quod nomen a Venedis inditum est, qui Svevos Cisbalthianae Pomeraniae Aborigines exceperunt, atque has oras longe lateque impleverunt. Non accurate aestimant, sed ex ingenio comminiscuntur originem, qui aliunde repetunt, et sive Latinis, sive Teutonibus, primordia adscribunt. Multo minus deduci potest a monte Bellicardo, in veteris Germanorum Burgundiae fines descripto, cuius Comes Theodericus infelices cessionis Henrici V. tabulas subscriptione firmavit, *apud VVilhelmum Hedam in hist. Vltraieci. p. 15.* Nihilo rectius ab idolo Beli arcessitur, cuius statuam ibi cultam esse, nulli Pomeranorum annales tradunt. Imago *Trigelavi*, Numinis impii nota est, passimque memoratur. *V. post Andream vitae Ottonis scriptorem, Elias Schedius de DIS Germanis Syngram. III. cap. 10.* Sed Geroviti, a quo militiae auspicia petebant, non meminit, de quo legere est *Andreas fastos, lib. III. cap. 3 et 9.* Vterque Slayorum et Venedorum idolis annumeratur, Schedius autem Vandalos a Venedis non distingvit, ut par est, neque cum cura semper origines ultimas scrutatur. Gerovitus idem est, qui aliis Herovitus, bella regere creditus, et a Germanis etiam nomine Martis cultus, victimisque placatus, *Caesar B. G. VI. 19. Tacitus M. G. IX. 1. conf. scriptor vitae Ottonis anonymus lib. III. cap. 5.* Ne quid nunc de hasta Iulii Caesaris afferam, quam Pomerani opinione et superstitione decepti, ritu sacro cohonestandam putarunt, eaque de causa Iulineses ab Antistite Francorum reprehensi, atque ad meliorem Dei cultum instituti fuerunt, id quod in *Ottonis vitae ab anonymo descriptae epitome* licet reperire, p. 379.

§. XIII. Non hic laboro de fabulis, et ingenii lusibus, quorum plenae sunt vulgares urbium descriptiones, quas tituli et imagines plerumque venales reddunt, speciosisque, at re inanibus elogiis commendant. Primus, quod sciam, *Andreas Babenbergae Abbas, Belgroensem urbem* veris atque incorruptis etiam monumentis mandavit, quam *VVinedi Bialogrod*, vel compendio loquendi, et contracto literarum ambitu *Belgrad* pronunciarunt. In qua sententia scriptoris anonymi rerumque consensus, et itinerum Ottonis congruens et apta commemoratio, atque alia non obscura indicia me confirmant. Verba scriptoris audiamus. *Sed peractis* inquit, *omnibus Belgroensem urbem petiit, deinde Colobregam*, quam hodie Colbergam nominamus. Loquitur de *Ottone Episcopo*, et aditum ad Pomeranorum urbes, operamque docendi causa navatam describit, ordinemque adventus, salvis ceteroquin historiae legibus, nonnihil mutat, et scita Latini sermonis imitatione

diam nominat, quam sequiores *svavitati aurium dantes Belgardiam* appellarunt. Etiamnum Stargardia simile aliquid ostendit et servat, idoneumque et ad hanc sane causam accommodatum quoque argumentum praebet. Nam ea quidem instituto et more Slavorum dicta est, *Zitarigrod*, deinde ascita Latinorum *terminatione Zitarigroda*, sive ut alii legunt. *Zitarigroda*, ac postea Stargardia nuncupari coepit. Eandem nominis vicissitudinem experita est Belgardia, urbs ulterioris Pomeraniae perantiqua, et illa aetate secundum Vinetam Iulinumque cultu et habitantium frequentia maxime insignis, cuius cives ab humanitate pariter ac fortitudine iam a multis inde seculis commendantur.

§. XIV. Multis autem gravibusque periculis urbs defuncta est, nec ambigua fide Principes suos coluit, et Polonis arma inferentibus animose restitit, magnumque decus ex constantia reportavit. Quod saepe exploratum est, praesertim cum moenia et muros, ab impetu hostium defenderet, nec taedio quietis, sed amore libertatis res opesque suas tueretur. Narrant scriptores Polonici, Bialogrodenses animo et audacia ceteris praestitisse, et cum vastato passim agro, multi fortunae cedendum putarent, eos nihil minus, quam deditionem pacisci voluisse. Sed tandem fati necessitas ipsos a proposito avertit, et certamen potius, quam gloriam finivit, cum Boleslaus III. difficultatis periculi que sui non immemor, urbem vi captam diriperet, mox autem cives clementiam poscentes benigne acciperet, et parcendo, virtutem approbaret. *V. post Duglossum Martinus Cromerus de rebus gestis Polon. lib. V. Salomon Neugebauer hist. Polon. lib. III. Ioachimus Pastorius Flor. Polon. lib. II. cap. 6. in Boleslao Crivousto.* Hic rerum exitus tunc fuit, cum impia oracula consulerent, malisque his admonerentur, ut ne suorum praesidio Numinum se defenderent, sed ope et auxilio firmiore niterentur. Neque aliter evenit, quando ex eo tempore, ut *Duglossus* auctor est, sensim mitioribus vivere legibus, et suscepto postea Christi foedere, piis et salutaribus institutis assuescere coeperunt.

§. XV. Iamque urbs longo temporis spatio condita, numero et robore civium, veterique militiae disciplina steterat, cum vicinos ad populandum effulos agro prohiberet, aliisque resistendi exemplum, et defendendi incitamentum occasionemque daret. Saxones Danique ad praedas egressi, non inermem urbem populam experti sunt, maxime Poloni sub Boleslai signis, ingens bellum exorsi, praeter ceteros Scarbimirus belli praefectus, et iuncti ordinum agminumque ductores, usu cognoverunt. Equidem vici et oppida quaedam ignobilia, praesidio nudata facile hosti cessere: sed plus laboris erat, cum Belgardia lacefferetur, cuius obsidio non parvi impendii, et expugnatio non sine discrimine fuit. *Matthias de Michovia lib. III. cap. 7.*

§. XVI,

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

§. XVI. Quare adducor, ut credam, illam ipsam urbem seculo, quod fuit a Christo nato undecimum, commerciis excultam, muroque circumdatam fuisse. Nam uno alteroque anno non excitantur simul et perficiuntur magnae ac populosae urbes, quibus Belgardia adscripta est, cum Boleslaus III. Poloniam regeret, et oppugnandi causa fines Pomeraniae intraret. Id vero rerum temporumque consensu ostenditur, initium tunc fuisse seculi XII. Christiani, quo isthaec urbs mercatoribus adita, et viris opibusque valida, atque omnium rerum copia et commerciis nobilitata, moenibusque cincta, ac deinde a Boleslao lacessita, et post multos labores et pericula tandem occupata memoratur. Quod non dubito, quin ad confirmandam hanc sententiam adferri possit, vel eo probabilis coniecturae argumento, quod insigni aliquod temporis intervallum ad tanta urbis incrementa requiratur. Omnino igitur primordia haec altius, quam a XII. seculo repetenda sunt, et indicia certe suppetunt, iamdiu ante Saxonum adventum Venedos, et sigillatim Iulinenses, et Belgardienfes, navigato mari Svevico, mercaturas fecisse, situsque opportunitate alios, et praesertim orae maritimae accolae ad se allexisse. Vestigia quoque structurae veteris haud obscura se offerunt, et murus, quo oppidum circumdatur, antiquitatem tuetur. Superiori tempore, cum hostes de Pomerania obtinenda certarent, iam Caesarei, iam Suedi firmitate moenium, et situs commoditate invitati, sedem ibi deligere voluerunt.

§. XVII. Nec vero ignorarunt Bogislaus IV. et Otto I. citerioris Pomeraniae Duces, quantum in ea urbe situm esset, qui hanc inprimis curam cogitationemque susceperunt, ut mortuo sine liberis Mestvino, quem alii Mesciugum vocant, Belgardiam cum Pomerania ulteriori Polonis attributam repeterent, et missa legatione, ius ad stirpem suam pertinens, et pacta de successione utrinque facta evidentiter demonstrarent. Spe frustrati, solenniter obnunciarunt, contractisque copiis, rempublicam tutati sunt, non accepturi condiciones pacis, nisi Belgardia, totusque ille tractus restituerentur. Nec multo post Bogislaus, conferto praelio, Polonos vicit, et urbem, cum universa regione, sanguinis titulo ad se devolutam, iure belli recepit, ac praesidio firmavit. Per id tempus summam rerum tenebat in Polonia Vladislaus Loeticus, Premislao II. quem Mestovvinus successorem appellaverat, surrogatus, belloque Marchico distractus, qui rerum necessitate admonitus, iure suo cessit, pacemque pactus, omnia quaecumque contra successione leges, contraque conventorum fidem acta fuerant, irrita declaravit. *Io. Micraelius Chron. lib. II. p. 288. seq.* Tria hic observanda veniunt. In iusta Mestovvini abalienatio, quae agnatis ab uno stipite descendentibus fraudi esse non potuit, et publica solennique contradictione oppugnata et re-

iecta, ac tandem rescissa est. II. iuris agnatione suffulti, ex belli et cessionis capite, luculenta et memorabilis confirmatio. III. Belgardiae et ulterioris Pomeraniae tunc pleno iure Imperio innexae ratio, auspiciis Germanicis constituta. IV. Novi tituli, novaeque propaginis origo, quod Otto I. Bogislai IV. frater, primus ex illa gente titulum *Domini Stetinensis* sumfit, sibi que adscripsit, *lineamque* diversam principatus Stetinensis nomine posthac insignitam condidit ac firmavit. *Paulus Friedeborn Stetinens. rerum lib. 1. p. 44.*

§. XVIII. Dehinc amoenitas loci, et fides civium, et cura tuendorum ex propinquo finium induxit Vartislaum IV. ut ne longius ab urbe recederet, atque aulae sedem eo transferret. Nam crebra tunc bella exorta sunt, nec minus Poloni, quam Cruciferi et Marchici, suo quisque apparatu, metum intulerunt. Minime autem Vartislaus IV. inutilem hanc operam sumfit, quum occupatam a Cruciferis Belgardiam, cum reliquis oppidis pagisque, rursus in ditionem redegit, et relictum sine herede Rugiae principatum, ex superiori successione pacto adeptus, potentiam suam huius accessione insulae amplificavit. V. *Eickstadiani annales, Micraelius, et chronica antiqua.* Non accurate tradit auctor novae descriptionis Ducatus Pomeranici, insulam beneficio hereditatis ad Vartislaum accessisse, cum conventio mutua de succedendo causa acquirendi fuerit, quippe quae non iure stirpis constabat, nec titulo hereditatis testamento, sive ab intestato ad descendentes delatae, sed mero pacto utrinque imito nitebatur, *Martinus Zeillerus p. 589. et idem itinerat. Continuat. cap. XVII. p. 201.* Nec melius existimat Io. Is. Pontanus, insignem illam fertilemque insulam ab Erico I. V. Vartislai VII. filio Daniae subtractam, quod tamen multo prius contigit, et vel argumento foederis pactique de successione diu ante facti confirmatur. *Rer. Dan. lib. IX.*

§. XIX. Si quando Pomeranorum Duces inter se regiones partiti sunt, ut olim frequenti et pernicioso exemplo partiri solebant, Belgardiae honori datum est, ut inter urbes alias, easque iure comitorum provincialium insignes referretur. Tabulae et pacta divisionum inter Vartislaum Bogislaumque huius nominis VIos, atque inter eorum patrum Bogislaum V. supersunt, in quibus Belgardia memoratur, singularisque constantiae, nec simulati erga Principes obsequii laudem habet. Hinc V. Voldemaro Marchione extincto, Bogislaum ducem, redintegrando ulterioris Pomeraniae principatus intentum, eximia charitate, et fide egregia recepit. *Leubing. comment. c. 1. suffragantur Prussici Marchicique annales.*

§. XX. Multas quidem tulit calamitates et casus, sed nullo errore ad contumaciam adversus indigenas Principes abrepta est, primaque eius diligentia semper enituit, si patriae salus, et Principum fortuna atque conditio postularet. Quare ad conventum ab Erico II. indictum celeriter delegatos

T t t

misit,

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

misit, et distractis reipublicae rationibus, ad eam societatem se applicavit, quae iura Principum, et commoda gentis honestis aequisque consiliis tuebatur. Cum vero propinqui de hereditariis portionibus contenderent, res arbitrio permessa, et prudenter transacta est, magno praesertim illius urbis emolumento. *Micraelius lib. III. p. 404.* Aliquando tamen, et praesertim recentioribus bellis, cessit necessitati temporum, et perpessa est crebro difficultates, quas mutare non potuit, cum nulla resistendi facultas esset.

§. XXI. Inter has rerum vices, urbs semper patrimonio Ducum servata, nec unquam sacro ordini sacerdotioque praesulum attributa ascriptaque est, quod sine ratione factum existimare non licet, et propensae Ducum voluntatis signum auctoramentumque censetur. At hoc praesidio non potuit lenire fortunam temporum, eamque cum aliis urbibus communem habuit, et bellis afflicta, aegre tot impendia et damna sarcivit. Quibus malis accessit nova et foeda calamitas, quae Belgardiae aedes, coorto aliquoties incendio delevit, et pristinum florentemque statum insigniter mutavit. Magno cum luctu recordor annorum et mensium, plerumque urbi isti fatalium, qui in commentarios relati, tristi ad recordationem exemplo memorantur. Et enim anno M D VI. pridie Nonarum Maii, die in fastis Ioanni sacro, urbs tota funesto igni vastata est, et curia templumque una conflagravit. Mox aedes rursus extructae sunt, sed non in eam formam amplitudinemque creverunt, ut pristinum splendorem exaequarent. Plus temporis in templo reaedificando consumptum est, ei que turris deinde imposita, et anno M D XVII. est perfecta. Quae aliquoties fulmine tacta, et anno M D LXII. instaurata, ac nostra memoria iterum, et sigillatim anno M DC LXIV. fulminis ictu percussa est, cuius mentionem hic faciendam duxi, quia ibi afferantur inscriptiones, quae ad notitiam superiorum temporum, et morem opinionemque prioris seculi nonnihil conferunt, quarum exempla nobis reddenda curavit *M. Iacobus Beilfus*, vir dignitate et doctrina eximius, et sacris Belgardiensibus praefectus.

§. XXII. Rebus paulum resectis, Belgardia opes subinde attritas, incendiisque consumptas paulatim colligebat, et Pomerania pace atque commerciis florebat, donec turbidis quorundam consiliis Germania perturbaretur. Quibus modis subinde expilata, et crudeliter direpta, ac sancta *bonorum Ecclesiasticorum* restitutione tantum non in servitutem addicta est, cum de sacrorum imperio et libertate sic dimoveri se animadvertent Duces. Idcirco iuris rationibus causam tutati sunt, et applissimum Caminense sacerdotium, Antistitis dignitate tituloque auctum ab maioribus institutum, et beneficiis possessionibusque donatum semper in ditione et potestate sua fuisse confirmarunt. Sed votis meritisque ipsorum non respondit fortuna, et ab

anno inde MDCXXVII. regio illa situ et natura loci egregia, magnum discrimen adiit, et diu multumque afflicta ac vastata est, atque id inter cetera Pomeraniae oppida Belgardiae evenit. Nimis longum sit referre vicissitudines, quas experta est, cum transitus expeditionesque militares versus Pomeraniam susciperentur. Ibi enim in ipsis belli Germanici initiis hospitia militibus assignata, et exactiones imperatae sunt, et eo praesertim tempore, quo Caesarei et Svedi res spesque suas variae bellorum fortunae committebant. Saepe huc exercitus traieci, ne hostibus receptaculum esset: nec integrum liberumque erat resistere necessitati, cum Banerius et Krockovius in hanc finitimamque oram adventarent. Non vacat revocare animum ad calamitatum omnium memoriam, nec spatio annorum separabo res gestas saepeque bello et pace conversas, quoniam eae, si proxima tempora respicio, potissimum annis M DCXXVII. M DCXXXVII. M DCXXXVIII. M DC XLIII. et M DC XLVIII. insignantur.

§. XXIII. Controversiis, quae ad religionem libertatemque spectabant, pace Vestphalica confectis, urbs Belgardiensis sub auspicio et tutela Brandenburgica colligendi se spatium habuit, sed aliquanto post maiori discrimini servata est, multasque sustinuit calamitates. Incendio ter foedata, anno MDCLXIV. turrim fulmine incensam non sine dolore gemituque vidit: quae res in omen accepta, futura quaedam mala praenunciavit, eventusque demum comprobavit. Nam praeter incommoda, ab advenientibus Svedorum manipulis accepta, duodecimo abhinc anno, qui fuit M DC LXXVI. coorto nocte incendio, tertia pars urbis consumpta est: Mox insequentis anno MDC LXXVII. quod erat reliquum, cum templo et curia, integris duntaxat scholae domiciliis, misero et funesto urbis spectaculo deflagavit. Quare post magnas istas luctuosasque Belgardiae inclinationes, cura indulgentissimi Electoris Brandenburgici animum subit, ut existimaret, unam tot malis medendi superesse rationem, si oppidum, cuius tertia pars iam instaurata est, omnibus modis sublevaretur. Cuius iussu et imperio Senatus populusque, et inter alios Daniel Hinzius COS. omnem eo diligentiam conferunt, ut avertendi incendii causa imposterum aedificia ad exactiorem architecturae regulam extruantur, et inera urbis plateaeque multo ampliores reddantur, et arte atque usu omnia magis magisque excolantur.

Accessio I. ad §. 21.

Anno Domini Natalis inferioris numeri decimo septimo post mille et quingentos annos, praesens opus fido labore est extructum ac elaboratum, regnantibus sanctissimo Patre Leone, divina gratia, Papa decimo, Imperatore Invictissimo Maximiliano, et Principe nostro, Duce Sictinensi Bugislao, et Martino Episcopo Caminensi.

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

Consulibus huius oppidi, Deistaff Bogatzken: Paul Glasenapp: Hans Gantzel: Camerariis Reimar de VVoldis, Iochim VVoperffnovv, Otto Ians. Reclere Ecclesiae Marefchallo, Domino Nicolao Flemmingio, Reclere Lectorii Petro Selliken, Rempubli- cam bene gubernantibus. Summitas turris est exacta anno, quo supra, die octavo Vi- sitationis intemeratae Virginis Mariae, in cuius honorem Basilica haec erecta, fundata et extructa, quam, misericors Tu DEVS Altissime, ob honorem Tuae castissimae Ma- tris protegere digneris ab omni impetu, tempestate fulminis et tonitruui, ut laus tua et matris Tuae in perenni laude habeatur. A. 1517.

Titulus triumphalis Salvatoris nostri defendat nos ab omnibus malis. IESUS Na- zarenus Rex Iudaeorum.

Accessio II. ad eundem §. ex verbis tabulae plum-
beae inscriptis.

Haec turris coepta est aedificari circa festum Iohannis Baptistae anni 1562. erecta vero ipso die Mariae Magdalенаe, et aliquot sequentibus. Sub imperatore Romano Ferdinando, eius nominis primo. Ducibus nostris Pomeranis: D. Barnimo et Eiu ex fratre Pronepotibus D. Ioanne Friderico Episcopo Caminensi, D. Bugslao, D. Er- nesto Ludovico. D. Barnimo Iuniore et D. Casmiro, quos omnes pios Principes vo- lit servare diu incolumes DEUS omnipotens.

Consulibus vero huius Civitatis: Paulo Hintzken, Iacobo Schmolcken, et Dionysio Glasenappen. Camerariis: Iochim Schüiten, Paulo Schmolcken et Paulo Cassubin. Gubernatoribus huius Ecclesiae, Antonio Vossen, et eius collega D. Iacobo Meyer. Re- cloribus Scholae Christiano Moltzan, et eius Collega Iacobo Sebeven. Procuratoribus templi, Iochim Gudeiahr, Paul Bogatzke, Paul Voss. et Iochim Prütze.

Architecti huius turris fuerunt pater et filius Iacob et Bartholomaeus Gar- chelin cognominati Anno Domini, ut supra videlicet millesimo, quingentesi- simo, sexagesimo secundo.

Fiat pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis. Oremus:

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

Defensor noster aspice, insidiantes reprime, governa tuos famulos, quos sanguine mercatus es.

Gregem tuum quaesumus Domine pastor bone, placatus intende, et oves, quas pre- tioso sanguine tuo in cruce redemisti, Diabolica Turcicaque non sinas incursione lac- tarrari, qui cum Patre et Sancto Spiritu vivis et regnas Deus, in secula seculorum Amen.

Scriptit haec Antonius Voss, Pastor huius Ecclesiae sexto die mensis Augusti. Serua nos Domine vigilantes, et custodi nos dormientes ut vigilemus in Christo et requiesca- mus in pace. Amen.

CON.

Confectaria I.

Hic aevi nondum emendati speciem exemplarqve cernimus, et sectam *Cleri*, et stylum ritumqve dedicandi simul notamus.

II. Maximiliani I. et Leonis X. elogium, titulum, collationisqve ordinem observamus.

III. Mutato sacrorum imperio, et iurisdictione Ecclesiastica, pace religionis suspensa, styli scripturaeqve pragmaticae diversitatem consideramus.

IV. Turcica incurfio cum Diabolica coniungitur et comparatur, non tantum ob periculum belli Turcici, quod a Pomeraniae finibus adhuc remotius erat, sed etiam ideo, quod praetextu collationum Turcicarum Legatus sacrae sedis pecuniam in finitimis tractibus, et praesertim in vicino Septentrione corradebat, *Pomarius in Epitome ad an. 1561.* Vnde *synchronismus* liquet. V. Belgardiae arx, quae extra urbis pomoeria est, cum agro circumiacente, et praefectura est portio insignis Ducatus Sedinensis, et una cum aliis satrapiis atqve urbibus, pace Vestpahlica non detractis et cessis, ditio Brandenburgica continetur. Vtraque situ et pulchro prospectu qui late patet ad fundos et prata, vicinumqve montem, positus Konigsmarckii castris celebratum: nec minorem amoenitatem conciliat Perfante amnis.

V. Assignata est recipiendis collationibus, quae praefecturae Belgardienfi imperantur, *Legestade* vocant.

VI. Posita est sub *lat. 53. 49. et long. 40. 30.*

XXXIV. RES PRUSSORUM.

AVTORES RERVM PRUSSICARVM.

Helmoldus, Nicolaus Ieroschinus, Erasmus Stella, Georgius Ranis, et qui illum sequitur Daubmannus, huncqve iterum saepe Caspar Henneberg. Caspar Schutz, Simon Grunovius, Balthasar Schlubuth, Iohan Freyberg, Henricus Zell, Steinschneiderus, Milfelt, quorum Chronica passim laudantur, inprimis quod effectum est ab Episcopo Paderbornense, vulgo *Hohemeister Chronick*, et Dantiscanum Anonymi cuiusdam, quorum tamen alia mendosa, alia in rebus antiquissimi aevi fabulis immixta.

2. Idem argumentum prosequuntur Albertus Cranzius in Vandal. et qui hunc supplet David Chytraeus.

3. Praeter hos nominandus Iornandes, qui Geticis suis plurima inseruit Slavica, tum Scriptores rerum Sarmaticarum Matthias Michovius, Martinus